



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

Qvæst. Vnic. Quid sit fortuna, Casus, Fatum, Monstrum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

illam amorem ac desiderium. Et quia efficiens prius producit formam, quam forma constituit compositum, potest dici quod causalitas efficientis sit prior causalitate formæ. Sed reuera quando quatuor hæc causæ habent quatuor causalitates immediate terminatas ad aliquem effectum, aut quando quælibet ex ipsis immediate causat aliquem effectum siue vna causalitate, siue pluribus; non eredo esse vllam prioritatem, etiam rationis, cum fundamento in re inter causalitates illarum aut ipsarum quatenus causant.

An habeant  
ordinem  
dignitatis.

75 *Quæres secundo*, an habeant aliquem ordinem dignitatis inter se, ita vt vna sit dignior altera.

*Respondeo cum Scotto in 1. disp. 2. quæstione secunda, numero decimo sexto*, in primis causas extrinsecas esse nobiliores in ratione causæ, seu habere nobiliorem modum causandi, quam habent intrinsecas. Ratio est, quod causalitas causæ materialis inuoluit potentialitatem ipsius & limitationem, & causalitas etiam causæ formalis inuoluit limitationem & dependentiam ab alia comparte: efficiens autem, & finis non inuolunt huiusmodi imperfectionem; vnde Deus ipse potest habere & de facto habet rationem causæ efficientis & finalis omnium rerum, & hac ratione vocatur Alpha & Omega in Apocalypsi.

Ex causis verò intrinsecis causa formalis est nobilior, quia causat actuando ac perficiendo; materia verò causat recipiendo. Nec refert, quod materia causat ipsam formam, cum tamen ipsamet non causetur à forma; nam comparamus ipsas in ordine ad effectum, quem causant, & dicimus, quod causa formalis habeat nobiliorem modum causandi quemcumque effectum, quem cum materia causat, quam ipsamet materia; quidquid sit an secundum alias considerationes materia posset esse perfectior, quam forma.

Denique si comparantur causæ extrinsecæ ad se inuicem, finis nobiliorem modum causandi videtur habere, quia agit qua bonum, & mouet ipsum efficiens, vt propter seipsum agat; & in moralibus magis attenditur ad finem, quam ad alias causas in ordine ad colligendam perfectionem actuum humanorum.



## DISPUTATIO XII.

### De Fortuna, Casu, Fato, Monstro.

**RESOLVTO** Causarum per se tractatu, pauca restant dicenda de causis per accidens, de quibus Philosophus à *tex. 39. vlt.* que ad 68.

#### QVÆSTIO VNICA.

*Quid sit Fortuna, Casus, Fatum, & Monstrum.*

Quid sit  
Fortuna.

76 **FORTUNAM** Deam esse, aut certe aliquid diuini numinis habere existimant veteres quidam, non solum Poetæ, quibus hoc suo mentiendi iure licuit, sed etiam Philosophi; sed ridicula eorum somnia optime arguit *S. August. 4. de ciuit. cap. 18. & Last. lib. 3. cap. 28.* Itaque Fortuna vere loquendo nihil aliud est, quam causa per accidens in iis, quæ ex electione agunt. Dicitur *causa*, quia aliquo modo est principium, à quo provenit effectus fortuitus, qui etiam aliquando vocatur fortuna, translatò nomine causæ ad effectum. Dicitur *in iis*, quæ agunt ex electione, quia non omnis causa per accidens alicuius effectus est fortuna, sed sola causa libera, quæ dicitur fortuna, quando actionem eius intendit per se aliquem effectum, alius effectus, quem non intendebat, aut qui, si intendebatur, non nisi accidentalem connexionem habebat cum actione causæ, sequitur: nec cognoscebatur ab operante habere connexionem eum effectum primario, quamuis haberet aliquam suspensionem, quod fortassis coniungeretur cum illo. Scotus vltius requirit, vt effectus sit alicuius momenti, quia ex communi modo loquendi non dicitur quis fortunatus, aut infortunatus ex eo, quod præter intentionem eius acciderit aliquid parui momenti; requirit

etiam vltius, quod effectus, qui dicitur fortuitus, sit rarus, & non sequatur ad effectum per se intentum, vt plurimum; sed quæstio esset de nomine, si quis hoc non requiri contenderet.

Quamuis autem omnis talis effectus vocari posset fortuna in hoc sensu, non tamen dicitur quis fortunatus, cui sufficit talis effectus, nisi effectus sit bonus; nam si sit malus, potius dicitur infortunatus.

*Casus* dupliciter accipitur, primo large, vt etiam comprehendit fortunam, & non est aliud vt sic quam causa per accidens vt sic. Secundo sumitur strictè, prout distinguitur à fortuna: & secundum Aristotelem, nihil aliud est, quam causa per accidens in iis, quæ non operantur ex electione, verbi gratia, in causis non liberis. Ex quibus constat primo dari fortunam, ac casum contra veteres; quia sine debio dantur causæ huiusmodi.

Patet secundo, nihil esse fortuitum aut casuale respectu Dei: quia determinate cognoscit quidquid futurum est, siue per se, siue per accidens producat à causis secundis.

77 *Obiicies primo*: omnis actio humana seu libera est propter aliquem effectum, ergo nulla actio libera est fortuita, & consequenter causa libera non est fortuna.

*Respondeo* distinguendo primum consequens: respectu effectus per se intenti, concedo: respectu effectus connexioni accidentaliter, & contingenter cum tali effectum, nego consequentiam.

*Respondeo secundo* distinguendo consequens alio modo, est fortuita, quantum ad hoc quod non producat data opera, concedo; quantum ad hoc quod non habeat connexionem incertam cum alio effectum ratione cuius dicitur fortuna, nego consequentiam.

*Obiicies secundo*: Effectus necessario coniunctus cum sua causa non est fortuitus: sed effectus, qui dicitur fortuitus, necessario coniungitur cum fortuna, impossibile enim est esse effectum fortuitum, & non esse fortunam.

*Respondeo* distinguendo minorem, materialiter nego, formaliter concedo, & nego consequentiam. Itaque cum causa illa, quæ est fortuna, quatenus est fortuna, formaliter loquendo, necessario coniungitur effectus, ratione cuius dicitur fortuna, quia alias non esset fortuna, sed cum causa illa quæ est fortuna specificatiue loquendo, & materialiter, non necessario coniungitur ille effectus.

*Obiicies tertio*: Ludens ex lusu dicitur fortunatus, & tamen ipse intendit lucrari: ergo effectus fortuitus per se intenditur, & consequenter male descripta est fortuna.

*Respondeo* negando vltimam consequentiam: quia licet intenderet lucrum, tamen sequeretur valde contingenter ad actionem eius; & ipsemet non habet vllum principium, ex quo possit etiam cum probabilitate colligere quod sequeretur ex natura talis actionis, quam ipse applicat: vnde merito tales effectus vocantur præter intentionem actionis, quamuis non sint præter intentionem agentis.

*Fatum* vno modo accipitur pro dispositione causarum inter se, non comprehendendo Deum, ex qua contingeret vt effectus omnes inevitabiliter succedere debeant; & hoc sensu non datur: nulla enim potest esse dispositio causarum, quæ non posset inuerti per Deum, & causa libera non patiatur talem necessitatem. Alio modo sumitur pro tali dispositione causarum, secundum quam subsunt Diuinæ providentiæ, vt infallibiliter illi soli effectus sint futuri, & eo ordine ac tempore, iisque circumstantiis, quibus ordinatum fuit à Deo ab æterno vt euenirent: & Fatum sic sumptum datur sine præiudicio libertatis.

Quia tamen communius intelligitur fatum in priori acceptione illa, in qua non datur, quam in posteriori, melius absolute negatur dari fatum, quam asseritur, & inter indotatos ac simpliciores cauere debet, ne asseratur.

79 *Monstrum* est effectus naturalis à recta solitaque dispositione secundum speciem degenerans. Dicitur *effectus naturalis*, quia proprie loquendo Monstra reperiuntur tantum in naturalibus, & effectus artificiales deficientes à regulis consuetis artis, non dicuntur Monstra nisi analogice. Dicitur *degenerans à recta dispositione*, quia defleat à lege statuta per naturam. Dicitur *solita*, quia quævis res deficeret

Quid sit  
Fatum.

Quid sit  
Monstrum.

à lege naturæ, tamen si id semper accideret, non diceretur monstrum, sicut nec Pygmæi dicuntur, quia quamvis deficiant ab ordinaria lege naturæ, quantum ad magnitudinem, semper tamen tales nascuntur in certis mundi partibus. Sed hoc spectat magis ad quæstionem de nomine quàm de re. Dicitur, *secundum speciem*, quia monstrum semper deficit à speciei generante, vel secundum partem, ut si quis cum vno oculo vel tribus nasceretur; vel secundum totum, ut si bos parturiret agnum, quod ante excidium Hierosolymæ contigisse narrat Necessarius lib. 3. cap. 4.

Dixi autem, quod defleat seu deficiat à speciei generante semper: quod tamen intelligendum est quando producit ab aliquo individuo talisnam posset produci ab aliis causis, & tunc non deficeret à speciei generante. Vnde clarius illa particula explicaretur dicendo quod deficiat à speciei quantum ad hoc quod deficiat à perfectione, quam exigunt individua istius speciei, à quocumque demum producat.

80 Multis de causis accidit ut generentur monstra: *Primo* ex abundantia aut defectu materie: & hinc provenit, quod aliqua animalia nimis magna vel nimis parva procreantur, & hoc secundum se totum, vel secundum aliquas sui partes. *Secundo* ex indispositione primar qualitatum. *Tertio* ex indispositione secundar, quæ est pellicula quædam, in qua continetur fœtus, dum est in ventre. *Quarto* ex debilitate virtutis productricis. *Quinto* ex influxu Astrorum, & temperamento Regionum. Deinde ex viuida aliqua imaginatione: scribit enim Avicenna gallinam incubantem ouis milui aspectu perterrefactam, edidisse pullos miluino capite.

*Quæres*, utrum Monstrum intendatur à natura.

*Respondeo* cum communi sententia, ipsum non intendi primario, quia est imperfectum, sed secundario tantum, quatenus cum non possit assequi effectum perfectum, ipsum imperfectum quærit producere. Sed si loquamur magis propriè de illis Monstris, quæ producuntur à causis naturalibus non cognoscitiuis, non potest dici, quod nec intenduntur, nec non intenduntur ab illis, nisi quatenus id est esset intendere, ac esse determinatum ad eorum productionem: sic autem potest concedi, quod intenduntur. Si verò loquamur de monstis, quæ producerentur à causa libera, possent aliquando intendi, & aliquando non intendi: & certe non est dubium, quin Deus intendat illa non minus quam alios effectus non monstruosos, propter multa emolumenta quæ ex eorum productione succedere possent vniuerso.



### LIBER III. ET IV.

## PHYSICORVM.



Is duobus libris agit Philosophus de Motu præcipue, & quia motus successivus est de genere continuorum, continuum autem omne est aliquo modo divisibile in infinitum, ideo ante absolutum tractatum de motu agit etiam libro tertio de infinito. Quæ autem in utroque libro explicanda sunt, duabus Disputationibus sequentibus explicantur.



### DISPUTATIO XIII.

#### De Motu.



**Q**VANDO QV IDEM superiori libro definita est natura per ordinem ad motum, & omnia, quæ per quatuor causarum genera producantur, indigent motu ut producantur, opportune satis hic de motu ipso agitur.

### QVÆSTIO I.

#### Quid sit Motus.

**S**UPPONENDVM est ex quotidiana experientia Sdari motum, quidquid senserint quidam antiqui Philosophi, quos tamen existimo non in eadem acceptione vfos fuisse nomine motus, quia nos eo utimur, neque enim calefieri se ac frigeri, & ab vno ad alium locum transire dubitare poterant.

Philosophus autem definit Motum esse *actum entis in potentia, prout in potentia*. Et hanc descriptionem approbant omnes Peripatetici. At circa eam duæ sunt difficultates hic examinandæ: vna quoad explicationem ipsius; & altera an conveniat etiam motui instantaneo. Ut verò tollatur omnis quæstio de nomine, aduertendum quod aliquid possit dici moveri dupliciter: vno modo ex eo, quod transeat à non esse ad esse, Et sic Angelus posset dici moveri quando creatur; ac in hoc sensu accipit motum Doctor quando in 4. d. 1. 2. q. 4. dicitur non esse de essentia motus respicere subiectum aliquod existens, quod moveretur per illum ad aliquam formam. Alio modo dicitur aliquid moveri, quod transit à negatione formæ ad ipsam formam, aut à forma ad negationem formæ: & in hoc sensu qui est proprior, & communior, motus essentialiter respicit subiectum, adeo ut etiam si calor produceretur post frigus extra subiectum, nihil tamen diceretur propterea moveri, nec daretur etiam tum motus vlla ratione. Et in hoc eodem sensu agimus hic de motu.

### CONCLUSIO I.

**B**ENE describitur Motus esse actus entis in potentia prout *Definitio*  
*Bin potentia*. Hæc est communissima cum Philosopho *motus*.  
*Et probatur*: quia omni & soli comperit absque superfluitate aut defectu, ut patebit ex eius explicatione. Dicitur *actus*, non ex eo, quod perficiat subiectum, quia posset fieri quod non perficeret, ut quando esset neuter aut violentus, sed quia determinat subiectum, seu quia est determinatio actualis ipsius ad aliquid quod alias non haberet. Dicitur *entis*, ut significetur agi de motu in propriori significatione præmissa: vbi ulterius aduertendum, quod *ly ens* capitur hic secundum communior opinionem, non nominaliter aut transcendentaliter prout significat illud quod existit vel potest existere; sed principaliter prout significat illud quod realiter est existens, quia motus nequit actuare aut determinare aliud subiectum quam illud quod realiter existit; imò debet existens realiter ante ipsum motum, & aliter non diceretur proprie moveri, unde ignis simul productus cum calore non dicitur proprie moveri ad calorem, quia nunquam fuit absque calore. Verum mihi videtur quod possit ens capi hic nominaliter, modo capiat per actus, non id quod actualiter actuatur, sed quod potest actuare; nam quamvis motus non possit actuare nisi quod actu existit, tamen est aptus actuare tam id quod actu, quam quod non actu existit. Imo videtur hoc modo melius intelligi & ens & actus, quia definitiones abstrahunt ab existentia, sicut scientiæ ipsæ, cui deserviunt. Nec credo de hoc in re posse esse controuersiam.

3 Si quæras, autem, quare Philosophus non posuit in definitione motus corpus naturale potius quam ens, præsertim si corpus naturale sit Physicæ obiectum adequatum.

*Respondeo*, quia nondum determinauerat quidnam esset statuendum pro obiecto adequato Physicæ, aut quia volebat abstrahere à controuersis, quantum poterat, quod semper faciendum esset in definitionibus.

Dicitur *in potentia*, ut significetur, quod motus sit actus ordinatus essentialiter ad alium actum, nempe ad terminum, qui per illum acquiritur; & hinc vocatur communiter actus imperfectus; ad differentiam aliorum actuum, qui essentialiter non ordinantur ad alios actus, ut forma substantialis, & formæ etiam accidentales, verbi gratia calor, frigus, vbi, & similia, quæ vocantur actus perfecti, quia scilicet